

conferendis partem habere conſiderant.

regibus, & Præſidibus fiunt, vices Patroni ſummi iuxta formam ab eodem præſcriptam obeuntibus. Si ergo illorum vxores, gubernationis partes aſſumant, & ſua velint omnia voluntati ſeruire, magna circa hoc incommoda Eccleſiæ Indicæ ſuſtinebunt. Minus enim digni plus negotiationis impendent, & potentes fœminæ quid non efficacitatis, vt quod libet obtingat, adhibebunt? Fœminæ illa vox eſt apud Iuuenalem Satyra 6.

Inuenalis.

Nil fecerit, eſto,

Hoc volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas. Apud quem & illud loco eodem:

Intolerabilius nihil eſt, quam fœmina diues. Iezabel ab impio marito gubernationi permiſſa, veri Dei cultum ſacrilegiis atrociffimis proſtigauit. Quod expendens Venerabilis P. Gaſpar Saneius in Commentarijs ad Libros Regum lib. 3. cap. 16. v. 31. ſic concludit: Quid enim non faceret fœmina potens, ſuperba, quæ in virum plus ſatis vxorum plus habuit poteſtatis, quam amantem viri vxorem, & modeſtam fœminam deceret? Sic ille. In hoc ergo & vir & vxor grauitè peccare poſſunt: pro quo illorum Confellarii, vt oportet, vigilabunt.

P. Gaſpar Saneius.

Circa filios grandiores cura per uigil ualde opus.

Circa filios grandiores, ſatius fuerit, cura per uigil neceſſaria. Pro honeſtate inprimis, ſed quæ tanta vt ſufficiat liberam iuuentutem inſtrare? vrgenda tamen, honeſtis occupationibus aſſignatis, quibus ſcimus nonnullos à cœptis præcipitijs reuocatos. Iuuenum ſiquidem virtus præſumptione laboris animatur; ſola ſenem uita eſt, quæ inueniſſe remedia. Verba ſunt Theodorici regis apud Caſſiodorum lib. 5. 25. Animatur equidem iuuenum virtus occupatione decenti, ſine quâ mortuæ ſimilis eſt futura, & hæc eſt laboris honeſti vis, vt virtutem mortuam vitæ miraculoſo quodam imperio reſtituat.

Caſſiodor.

Aleatorum concuſſus nimis illis permittendus, ob diuina in eo ingentia.

12. Aleatorum concuſſum illis permittere, ex quo grandis quæſtus accreſcat, ſine graui conſcientiæ reatu parentes nequeunt. Sciunt melius, qui talibus interſunt, quanta in iis aperte damanda concurrant. Siue chartarum prætijs pro ludo ſeruientium, ſiue ingentium cenſuum iactura, vxorum ac filiorum facultatibus diſſipatis, ſiue gratiæ aucupatio largitionibus iteratis, vt ſic officia meliora, nec tamen melioribus deferantur. Siue validius ſcandalum, vt nequeant propterea alia eiſdem generis prohiberi. Vbi friuola ſanè eſt parentum excuſatio, ſe inſcijs hæc fieri: quod, præter incredibilitatem, quam præſert, contra ſe habet obligationem illam, de qua num. 8. circumſpiciendi ſuos, ſicut & ſeipſum. De muliere forti Prouerb. 31. v. 27. à Salomone dictum: Conſiderauit ſemitas domus ſuæ, & panem oriſa non comedit. Si ergo ſemitas domus ſuæ conſiderare debet mater-familias, quid virum facere oporteat: ad quem familiæ curâ præcipuam conſtat pertinere? Ergo & ſemitas domus ſuæ ille cõſideret: ſemitas in quâ, per quas & ingreſſus & egreſſus exterorum vel ipſis cæcis occurrunt. Quamuis nomen ſemitæ quidpiam deſignare minutius videatur, vt etiam illud oculis debeat patris-familias perlutrarî. Vnde lectiones aliæ id expriment, Septuaginta enim, & Complutenſis ſic vertunt: Anguſtæ ſunt via domus eius. Vaticana, Conſtrictæ manſion es domus eius. Hæc ergo fortis illa conſideret mulier.

Nequis horum ignorantia excuſationi ſeruire, ob circumſpiciendi domus obſeruationem.

Prou. 31. v. 27.

actiones Laris loci vnaſati.

Vbi Hebræa vox eam habet vim, vt hæc omnia ſimul poſſimus pronuntiare: *Speculara eſt, proſpexit, diſcooperuit, aperis oculis circumluſtrauit.* Videatur P. Cornelius, & videat Paterfamilias, ille præſertim, de quo agimus, maiorem ſibi circa hoc obligationem imminere; ſi occulta aliqua in filiis diſcooperat, illis vt remedium apponat, ſibi que pariter conſulat, redditurus rationem ei, cuius oculi multo plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum. Eccli. 23. v. 28.

Eccli. 23. v. 28.

Aſpiciunt oculis ſuperi mortalia juſtis. Ouidius 13. Metamorph.

Ouidius.

13. Ex quibus quid circa familiares alios dicendum ſit, ſatis videtur eſſe perſpicuum. Valde indecorum eſt, vt aula, quæ virtutis eſſe ſchola debuerat, fiat receptaculum vitiorum, & vt Caſſiodorus loquitur lib. 8. 14. *habere ſpeciem agri videatur inculti: cum tamen deberet eſſe cultiſſima, & de regno quidem locutus ille, quod decet inter initia pacis amantitate componi.* Quomodo autem ſperari poſſit horti adinſtar, vt ille loquitur, regnum excolendum, ſi aula ſpeciem agri habere videatur inculti? Si erga proxima friget cura, erga exterius poſita qualiter incaleſcet? Tales ergo eſſe decet aulicos viros, vt natura bona indicio aperiant: & poſint agnoſci de moribus, cum videntur: ſic ille, D. Pauli plena maieltatis vox. 1. Tim. 5. v. 8.

Circa domeſticos qualis futurus Prorex.

Caſſiodor.

Aulici quales futuri.

1. Tim. 5. v. 8.

Si quis autem ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Quod quidem in calu noſtro ſpeciale videtur habere efficaciam, vbi de aulâ loquimur, in quâ de bono odore Chriſtiani nominis pro conuerſione Gentilium, & conuerſorum in fide progreſſu, cura debet haberi præcipua; quæ tamen penitus videtur abiecta, ſi domeſticorum inprimis non per uigil habeatur. Qui enim ſuos negligit, videtur fidem, & Chriſtianiſmi ſamam negligere, eſſeque cauſa cur infideles blaſphemem Chriſtum & Chriſtianos. Verba ſunt magni Interpretis in eum locum, *Et eſt infideli deterior.* Quomodo ergo pro infidelium conuerſione operam poſſit vtilem adhibere?

P. Cornel.

14. Poſt hæc auaritiæ ſcopulus attentiffimè declinandus, in quem plures infeliciter impegerunt: *Regina illa procacium vitiorum, vt Caſſiodorus loquitur lib. 12. 1. quam opulentiæ Indica vehementius exſtimulat, vt inſatiabiliter domineatur.* Præclarum illi teſtimonium exhibuit Apoſtolus Timotheo ſcribens, dum ait: *Radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide.* 1. Tim. 6. v. 10. Circa quod Diuus Valerianus Homiliâ 20. ita ſcribit: *Et verò, dilectiffimi, ſi reſpiciamus ad ſingula, quibus ab initio vitam ſuam habendi ſtudio conditio humana proſtituit: nihil eſt malorum, quod non cupiditas aut conſipiat, aut pariat, aut paſcat, aut nutriet.* Sic ille eleganter exornans poſitionem. Nec prætermittenda aurea D. Petri Chryſologi pro eodem ſententia: *Sermone 126. ita loquitur: Quiſquis eſt ab huius mammonæ captiuitate liber, & petunæ ſam crudeli pondere non grauatur, conſtat in ſpeculâ cæleſti, & inde deſpectet mammonam mundo & mundanis tyrannico furore dominari. Imperat gentibus, iuber regnis, bella mandat, comparat bellatores, ſanguinem vendit, agit mortes, prodat patrias, vrbes deſtruit, ſubdit populos, arcas vrget, verſat ciues, foro præſidet, ius delet, ſas neſaque confundit, & ad mortes uſque tendendo, fidem tentat, violat veritatem, ſamam carpit, honeſtatem diſſipat,*

Auaritia ſcopulus declinandus Proregi. Caſſiodor.

1. Tim. 6. v. 10.

P. Valerianus. Eiuſdem damna.

D. Chryſoſtomus.

diſſipat, ſoluit affectus, innocentiam tollit, pietatem ſepellit, neceſſitudinem ſcindit, amicitiam ſubruit. Et quid plura? Hoc eſt in mammona dormnus iniquitatis, qui inique humanis & corporibus dominatur, & mentibus. Hæc ille. Iuxta quæ, cum fidem in talibus ſatis iuxta Apoſtolum Patres fateantur infirmam; ex eo pariter habetur, quàm dedebeat illos qui pro amplificandâ fide vt motores præcipui ad regiones Indicas deſtinantur. Videndum ergo jam quibus contingat modis in hoc pelago naufragari.

C A P V T III.

An liceat Indicis Proregibus quæſtuos contractus exercere.

AN inquam liceat emere vt vendant ea, quæ alijs licet, vt ſint honorabiles mercatores. Circa quod

Aſſertio 1. contractare publice mortale eſt in Proregibus.

15. Dico primò. Publicum hoc exercitium non licet, eſtque graue peccatum. Id conſtat; quia legibus prohibentur, & ita quæ fuerint nundinationi expoſita, ſi deprehendantur, amittuntur. Neque vllus erit qui mutire audeat, & deſenſioni ſe præferat, ne maiora inde ſint incommoda ſubituri. Eſt ergo grauis, & obligationem conſentaneam ſecum afferens prohibitio: ac propterea eam aperte violare eum, qui ante omnes alios eſt cultodiendis legibus conſtitutus, non ſtat ſine lethali culpæ reatu. Videantur dicta Titulo præced. cap. 9. & 10. Id quod etiam de Auditoribus Regijs dictum ſit, qui de eo iuramentum emittunt, ſed implicitum, vt ex illius formâ probat Illuſtriſſimus Villaruel Parte 2. quæſt. 15. art. 1. num. 17. licet reuera non ita appareat ex illius tenore.

Sicut & in Regijs Auditoribus.

Aſſertio 2. non ita, ſi per alios id faciunt, quod & Clericis licet.

16. Dico ſecundò. Si Prorex pecuniam fido mercatori tradat, vt cum eâ propriâ junctâ negotietur, & partem lucri retineat, non videtur in eo mortale crimen intercedere. Id probò ex communi ſententiâ de negotiatione Clericorum per alios, quando dicto modo ſit: eſſe enim à culpâ mortali immunem tenent quæmplures, quos adducit & ſequitur Diana Parte 1. tract. 8. Reſol. 72. & magis ex profeſſo Parte 9. tract. 7. Reſol. 69. quibus addendus Eligius Baſſæus v. Clericus num. 14. §. Præterea. Eſt autem prædicta obligatio ſtrictior, vt pote à ſacris Canonibus præſcripta, & quia ratio prohibitionis eorum ſtatui magis contraria deprehenditur, quia à ſacrorum curâ & deuotione in ipſis auertuntur; & tamen per alios licet: ergo multò id potiùs in laicalis muneris Magiſtratu. Et quidem Franciſcus Syluius in 2. 2. D. Thomæ quæſt. 77. art. 4. præfatam ſententiam probans, ſic ait: *Rationes prohibitionis non pariter locum habent quando aliquis negotiatur per alium, nullam ipſe præſtans operam, ſed ſolum committens pecuniam: tunc denique quia ſic pecuniam ſubminiſtrare non eſt propriè negotiari: nam & viri nobiles, & matronæ honeſtè ita ſubinde lucrum quaerunt, nec propterea cenſentur negotiari.* Hæc ille. Iuxta quæ id ſequitur quod intendimus, & ita Proreges ſic agentes non eſſe mortalis criminis reos.

Vide Tit. 9. n. 147. & 148.

Franciſcus Syluius.

Aſſertio 3.

17. Dico tertio. Aſſertio præfata non habet locum, quando negotiatio ſit interuentu filio-

rum, aut famulorum. Id probò. Quia tunc Prorex ipſe eſt cauſa principalis, & eo modo negotiantur magni quique mercatores, vnde occulta eſſe negotiatio nequit, & id eſt iuxta diſtinctionem, quam loquentes de Clericis adhibent Renatus & Syluius à Dianâ adducti. Licet in Clericis alia ſit ſpecialis ratio, de quâ nuper: ſcilicet à cura diuinorum eâ ſollicitudine diuelli: quæ ratio vrget, etiamſi ponamus occultam eſſe negotiationem, dummodò in eâ ipſi ſint cauſa principalis. Quod ſecus accideret in Proregibus, ſi ſtare poſſet, vt per filios & famulos negotiantes, occulta eſſe poſſet negotiatio; tunc enim id ſine mortali peccato contingeret. Non poſſe autem ita contingere manifeſtum eſt, quia omnibus conſtat filiis & famulis non eſſe aded ingentes pecuniæ quantitates, quibus credere poſſint id, quod poſtea exponunt venditioni.

Niſi ſiat interuentu filiorum, & famulorum.

18. Dico quarto. Negotiatio in mercibus prohibita, ſi illa regno præiudicialis ſit, non poſteſt à Prorege vllatenus exerceri, neque etiam quia intereſſe aliquod indulgeri. Ratio eſt clara; quia ex officio debet communi regni bono conſulere: ergo non licet illi quod bono tali contrarium inuenitur. Euidens eſt diſcuſſus: ex quo vterius ſequitur ad reſtitutionem teneri. Eſt communis Doctorem ſententia, qui vno id videtur ore fateri. Pro quo videndus P. Leſſius lib. 2. cap. 13. num. 70. P. Dicatillus lib. 2. tractat. 2. diſſipat. 3. num. 88. Pharaonius pag. 245. & Bonacina Tomo 2. diſſipat. 1. de reſtitutione quæſt. 3. Puncto 8. num. 4. Iuxta quos Principes, Magiſtratus, Prætores, & Duces belli tenentur ad reſtitutionem, ſi omittant impedire furta, latrocinia, iniuſta monopola, & ſimilia damna, cum poſſint ſine ſuo notabili detrimento. Quod eſt ad Prælatos Religioſos extendendum, vt cum alijs probat P. Saneius lib. 6. Operis moral. cap. 14. num. 33. Eſt autem reſtitutio faciendâ iis, quibus damnum illatum fuerit: quod in particulari caſu, viri prudentis conſilio adhibito diſpiciendum.

Aſſertio 4. Et in mercibus prohibita, quia præiudicialis regno.

Ex quo & obligatio reſtitutionis.

19. Dico quinto. Si non ſit negotiatio præiudicialis, in foro conſcientiæ licebit eo modo, quo alia, de quibus dictum: non verò publice; ſicut nec licentia concedi; quia cum ſit manifeſte contra legem, cuius obſeruantia, ſicut & aharum, ad Proregem præſertim ſpectat, id ſtare ſine graui conſcientiæ grauamine nequit. Videantur dicta Titulo præced. num. 100. & 101. circa Regii Conſilii Præſidem.

Aſſertio 5. in non præiudicialibus aliter pro foro conſcientiæ, ſed dari pro iſtâ licentia nequit.

20. Dico ſextò. In caſu dicto non poſteſt Prorex nauigia, quæ de permiſſo dicuntur, concedere. Id probò; quia permiſſiones iſtæ ſunt reuera licentiæ, vnde & petuntur, & non exiguo ſumptu comparantur: licet nec ſcripto, nec viuâ voce, per modum poſitiuæ conſeſſionis proueniunt, pœnæ periculum præuidendo. Quod ſi tale beneplacitum non extaret, minimè nauigatio aſſumeretur: Atqui hoc licentiam intuluit nomine variato: ergo non licet, ſicut neque expreſſa. Maior eſt clara, & Minor oſtenditur ex Cap. Si ſeruus 2. §. 4. diſt. in quo ſic dicitur: *Si ſeruus ſciente, & non contradicente domino ſuo, in Clero fuerit ordinatus, ex hoc ipſo liber & ingenuus erit. Sed ſi ignorante domino, licet ei &c.* Vbi taciturnitas domini videntis licentia computatur, cum id permiſerit, quod poterat impedire. In caſu autem

Aſſertio 6. neque pro nauigijs de Permiſſo.

Vbi promiſſo pro licentia habetur.

Cap. Si ſeruus.

tem



tem noſtro plus eſt aliquid, quia beneplacitum exquirunt, & diſſimulanter exploratur.

*Aſſertio 7. Oppoſitum nō eſt improbabile.*

21 Dico ſeptimò. Oppoſitum non videtur improbabile, quia voluntas Regis non eſt ita amare interpretanda in re non penitus præiudiciali, & quæ pro parte adverſa ſuas etiam habet congruentias, eſtque populo plauſibilis & iucunda, tum propter abundantiam mercium, tum ob varietatem, ex quâ homines conditionis mediocriſ commodum non leue reportant, viliori pretio quæ ſibi ſunt neceſſaria comparantes: & Eccleſiæ ornamentis etiam neceſſariis abundantius & commodius inſtruntur. Hoc certè ſi quandoque accidat, quomodo poteſt Regi piſſimo ingratum penitus accidiffe?

C A P V T I V.

An Proreges Indici munera poſſint accipere.

§. I.

Tribus Aſſertis obligationis qualitas ſtabilitur.

Communis eſt pro cunctis Proregibus diſſicultas: ſed ſpecialis pro Indicis ex eo redditur, quòd amplior in illis eſt copia poteſt & munerum pretium ſuperius: & ita videndum quid circa hoc leges conſcientiæ patiantur.

*Aſſertio 1. Proreges nō poſſe munera accipere à litigantibus.*

22 Dico primò. Proreges Indici non poſſunt munera accipere ab iis, qui coram ipſis cauſam agunt, aut verofimiliter creduntur acturi. Conſtat ex L. 56 tit. 5. noue Recopilat. In quâ Audiendarum Præſidibus id ſpecialiter imperatur, ſicut & vxoribus, & filiis. Sunt autem Proreges Audiendarum Præſides; vnde manifeſtè in lege dicta videntur comprehenſi: quæ munera quidem cuiuſcumque valoris excludit verbis illis: *Preſente, ni da diua alguna, de qualquier valor que ſea, ni comas de comer, ni beber.* Eſt autem illud iuri Cæſareo conforme: ſic enim habetur L. Plebis ſcito. D. de officio Præſidis, & L. Soler. D. de officio Proconſulis.

*Legis verba.*

*Aſſertio 2. obligatione eſſe ſub mortali.*

23 Dico ſecundò. Lex præfata obligat ſub mortali, niſi obſtet materia paruitas. Ita Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 3. n. 14. P. Tho. Sanciſ lib. 3. Conſiliorum, c. vnico dub. 1. n. 25. & alii. Conſtatque ex eo quòd lex circa materiam verſatur grauiffimam, & niſi legiſlatoris voluntas grauem obligationem induceret, non eſſet ſufficienter communi bono prouiſum, de quo diximus Titulo præcedenti numero 3.

*Que materia paruitas excuſat.*

Paruitas autem materiæ non eſt regulanda iuxta ea, quæ circa materiam peccati in furto à Doctoribus traduntur: nam licet talis quantitas ſit vt ablata peccati mortalis reum faceret, poteſt parua cenſeri in munere oblato Proregi, vt nouorum pomorum caniſtrum, aut vini pretioſi lagena. Et ſic alia. Attentâ enim dignitate perſonæ, parua hæc ſunt, quæ aliorum comparatione non talia cenſerentur. Pro quo eſt Cap. Eſt quæſtionis, de ſimonia. Cùm enim quæſtio propoſita

*Iuxta perſonæ dignitatem quaſitas mune-*

eſſet Pontifici de equo, quem Cardinalis Legatus acceperat à fratre Archiepſcopi, eo inſcio, qui ex eius manu Pallium erat accepturus, ſcrupulum exemit, dicens: *Si ergo prædictorum Cardinalis, & fratris tui perſonam, & qualitatem penſamus, non fuit magnum ab eodem fratre tuo Cardinali equum vnum tranſmitti, quem etiam ioculatori non petenti, vir tantus & tam abundans fortè donaret.* Sic Pontifex; & tamen conſtat equum tanti valoris eſſe, vt eius furtum multorum grauium furtorum materiam & malitiam adæquaret. Licet autem plures ſcriptores apud P. Sanciſ ſupra num. 16. receptionem munerum in parua etiam quantitate vt lethalem damnent, ob præfata legis rigorem; quod & ipſe Pater tenet num. 17. alii tamen apud eundem contrarium cenſent, num. 15. & mirum eſt illum cum prioribus cenſuiſſe, qui poſtea num. 26. citato manifeſtè aſſertit à culpâ graui materiæ paruitatem excuſare. Pro quo eſt ratio à Pontifice adducta citato in Capite, vbi ita ſubdit: *Quod autem ſcriptum eſt (Iſaiæ 33. v. 15.) Beatus qui exciuit manus ſuas ab omni munere, de illis donis dictum eſt, quæ accipientis animum allicere, & pervertere ſolent, &c. Quis autem credat Principem virum, & in ſummo poteſt Regem dignitatis faſtigio locatum, muneribus huiuſmodi ita allicendum, vt iuſtitiam violet, & ad patranda indecora atque indigna peruertendum? Lex ergo non eſt ita rigide accipienda; vel ſi reſpectu aliorum id debeat admitti, non tamen Proregum, quorum honori à legiſlatore conſultum, vt cum Præſides expreſſerit, Proreges tamen, licet Præſides ſint, noluerit expreſſe nominare.*

*riſ aſſimilata. Cap. Eſt quæſtionis.*

*Iſaiæ 33. v. 15. Que Deus non admittenda præſcribat.*

*Aſſertio 3. obligatione eſſe ad reſtituendum accepta.*

24 Dico tertio. Quòd Proreges, ſicut & alii in citatâ lege contenti (Audiendarum inquam Senatores, Auditores criminis, Fiſcales &c. pro quibus & extant leges Indicæ apud Dom. Solorzanum lib. 4. cap. 4. num. 17. & 18. & in Politicâ pag. 778. & Dom. Villaroel Parte 2. quæſt. 15. Artic. 2. num. 12. & ſeqq. Circa quas & inferius inquirendum Titulo ſequenti Cap. 2.) contra eandem legem recipiunt, tenentur reſtituere. Sic quamplurimi, quos adducit, & ſequitur P. Sanciſ ſupra num. 26. Qui id fundant in verbis ipſius legis, ait enim: *No pueden recibir porſi, ni por interpoſita perſona, &c.* Tollit ergo accipiendi poteſtatem, & ita domini translationem. Sed fundamentum hoc non eſt adeò ſolidum: quia quòd licitè fieri non poteſt, rectè dicitur non poſſe fieri ob ſolam rationem prohibitionis. Sic Genſ. 39. v. 9. *Quomodo ergo poſſum hoc malum facere?* Verba ſunt Ioseph adulterium deteſtantis. *Lucæ 11. v. 7. Non poſſum ſurgere, & dare tibi.* *Iob 9. v. 12. Quis dicere (Deo) poteſt: Cur ita facis?* & alibi frequenter in Scripturâ. Quod etiam eſt iuris loquendi modo conforme. Cap. 12.

*Verba Legis. Non poſſe, Non arguit inuoluntatem, actus.*

*Gen. 39. v. 9. Lucæ 11. v. 7. Iob 9. v. 12.*

*Cap. Expoſuitis.*

*Cap. Extenore.*

*Cap. Si quis.*

*Cap. Oues ſunt.*

sunt, eam nec reprehendere, niſi à ſide exorbitauerit: nec vllatenus accuſare poſſunt. Quòd autem valida accuſatio ſit, conſtat ex Cap. Si quis eadem Quæſt. Sic etiam alibi. Videatur Diana Parte 10. Tract. 12. Reſolut. 7. à me poſt hæc ſcripta viſus, apud quem & alij.

*Diſtinctionem inter Non poteſt, & Non poſſe eſſe ſi uolam.*

25 Vbi mirabilis eſt quorundam diſtinctione dicentium, cùm in lege dicitur *Non poteſt*, non ſemper actum eſſe nullum, bene autem cùm dicitur *Non poſſit*: quod ex Bartholo ponit P. Sanciſ num. 26. citato, & ex aliis P. Henriquez Lib. 13. Cap. 28. num. 8. Quis enim non videat hoc eſſe futile, & contra leges Grammaticæ, à quâ petendæ vocum ſignificationes: & ex qua etiam conſtat non eſſe aliam ſignificationem verbi in ſubiunctiuo ab eâ, quæ Indicatiuo competit. Et quidem ſi aliqua eſſet differentia in caſu noſtro, maior videtur ratio, vt cùm de præſenti eſt fermo in modo Indicatiuo, actus annulletur, & non ita cùm per ſubiunctiuum; quia illius perfectior ſignificatio eſt, vimque ſuam verbum penitus exprimit; non ſit cùm per alium. Quod præterea ex adductis Textibus falſum deprehenditur, in quibus per ſubiunctiuum prohibitio ſtatuitur, & tamen non annullatur actus, vbi talis eſt loquendi modus, in nonnullis ſcilicet eorum.

*Aſſertio 2. genuina probatio.*

26 Probo ergo illam ex dictis num. 22. & in alio ibidem citato. Nam ſi lex iſta non annullaret actum, non eſſet ſufficienter conſultum bono publico in re momenti ſummi: ſublata enim obligatione reſtitutionis ſola conſcientiæ obligatio facile deuorabitur, cùm illius violatio remedium obuium pœnitentiæ habeat. Vermis autem conſcientiæ, quando obligatio reſtituendi vrget, eſt durum valde tormentum: cuius horrore ſcimus multos ab iniquâ acquisitione diuellij, qui eo ſublato non dubitarent peccatum lethiferum deuorare.

*Alia ex defectu tituli pro acquisitione.*

27 Deinde argui poteſt. Quia accipientes non habent titulum validæ acquisitionis: ſi enim aliquis, ille eſſet gratiæ donationis: Atqui ille talis non eſt, eò quòd fit inuoluntaria: nemo enim niſi inuitus dat, vel vt vexationem redimat; vel quia, quòd obtinere nititur, putat ſe aliter non aſſecuturum: quod ſi ſciret, neutiſquam daret, vt experientiâ conſtat: nullus enim erga prædictos ita piè afficitur, vt ad donandum beneuolentiâ moueatur; cùm potiùs odioſos habeant illos, à quibus ſola iuſtitia, aut pietas, non valent profuturum quidquam deriuare. Quod poteſt uſurarum exemplo fulciri, vbi gratuita donatio non eſt, & ideo obligatio reſtitutionis interuenit. Videatur P. Sanciſ ſupra num. 24. cum Soto, Sandoual, & Mercado, inuoluntarietatem largitionum huiuſmodi conſtat.

§. II.

Tres alia pro eodem Aſſertiones.

*Aſſertio 4. Oppoſitum eſſe probabile.*

28 Dico quartò. Oppoſitum non caret probabilitate. Probatur Primò, quia ſic tenent plures, quos adducit P. Sanciſ ſupra num. 28. qui præter citatos ait ſic tenere P. Henriquez, & alios viros doctos à ſe conſultos: pro

quo & alios adducit Cardinalis Lugo Diſput. 37. de Iuſtitia num. 134. dicens eſſe ſatis probabile. Præterea eſt ratio pro eodem, quia dicta lex non exprimit obligationem reſtitutionis, & ita non debet ad illam extendi, iuxta communem doctrinam de legibus, quam bene expendit præter alios Bonacina Tomo 2. Tractatu de legibus Diſput. 1. Quæſt. 1. Puncto 7. §. 5. num. 8. Verſamur enim in materiâ odioſa, in qua legiſlatoris intentio iuxta verba eſt regulanda, qui potuit irritantem addidiſſe formulam, & cùm non addiderit, non videtur eam voluiſſe. Nam ſi voluiſſet, expreſſiſſet. Cap. Ad audientiam, de decimis.

*Quomodo Aſſertio iſta roboret præcedentis non inſirmat.*

29 Dices, Aſſertione iſtâ robur præcedentis infringi: ſi enim prædicti probabiliter poſſunt accepta retinere, id certè illis ſatis, vt quidquid de peccato in acceptione ſit non multum hæreat circa illam. Fateor inſtantiâ eſſe robuſtam, & propterea expediens fore, vt in præfata lege & aliis, reſtitutionis obligatio, ſublata translatione domini, exprimeretur. Nihilominus ſententia ſeuerior, quæ & verior, ſi non omnes, plures tamen poterit in officio continere magis de conſcientiæ ſecuritate ſolicitos. Et quidem de omnibus loquendo, valde diſſonum rationi eſſet, viros ſapientes, & ſapientium præcipuos, qui in iudicando aliorum cauſas, probabiliores debent & receptiores amplecti ſententias (quidquid de gradu obligationis ſit) in negotio ſalutis æternæ, & propriæ ſuæ damnationis periculo, minus ſecuras, & plenam inconuenientibus conſectari.

*Aſſertio 5. Ab Episcopis copia eſt Clericis munera accipi poſſe.*

30 Dico quintò. Proreges (& idem dici poteſt, licet non ita certò, de aliis in lege propoſitis) munera poſſunt ab Episcopis accipere: quod & verofimiliter poteſt de aliis affirmari Clericis, de iis, quæ ad liberam penitus eorum diſpoſitionem ſpectant. Id probo. Nam Episcopos non ſunt ex ſubditorum numero, nec lites habituri, quæ ad eos ſpectent. Si quæ autem pro Eccleſiâ, id nocere Eccleſiæ nequit, ſed potiùs ſeruire profectui. Nec dici poteſt eorum cognatos lites habere poſſe: id enim non obſtat, cùm lex de cognatis eorum nihil diſponat, qui non ſunt lites habituri. Et quidem expreſſio illa circa litigantes, aut verofimiliter litigaturos, videretur impertinens: qui cùm vir aliquis ſit, qui cognatum aliquem non habeat, omnes remanent comprehenſi, & ita eſt inutilis prorsus expreſſio. Ex quo non venit prorsus probanda quorundam doctrina, qui dicunt legem ad omnes ſubditos extendi, quia omnes poſſunt litigare, quos adducit & ſequitur P. Sanciſ n. 18. Propter quòd & idem num. 30. exiſtimat dictâ lege comprehenſos peccare quidem munera à quibuſlibet accipientes; ſed quæ acceperint ab iis, qui neque habuere litem, neque habent, nec ſunt impoſterum habituri, non teneri reſtituere. Quod quidem, ſi de graui peccato loquatur, non videtur admittendum; quia ideo ad reſtitutionem non obligat lex, quòd talis acceptio non videatur grauibus inconuenientibus violanda iuſtitie obnoxia: Atqui iis ceſſantibus non eſt fundamentum, ex quo inferri poſſit obligatio ſub mortali, quia illud ipſum ſolum eſſe poteſt, violandæ inquam iuſtitie: ergo non eſt obligatio talis

*Etiamſi cognatos lites habeant litigaturos.*

*Legem non extendi ad omnes, ſed ad expreſſos, contra aliquos extenditur.*